

3x

RÖPL.
183

1842

2

1842

Kallay 505.

12
DE PVGNA

ILLVSTRISSIMI DVCIS

SAXONIAE MAVRICII IN

Pannonia, εὐχαριστικῶς

Autore Iohanne Cremero,
Sunphurtenſi.



INclita de veteri MYforum Gente propago
 Quæ virides ripas Albis & arua colis,
 Et quæ proscindis nigram Gens sedula terram
 Turbida piscosæ qua si vit vnda Sala.
 Vnanimes genibus deflexis dicite grates
 Reddatur summo gratia summa Deo.
 Ipsius assiduo sic laudibus insonet æther
 Ut geminum referant antra cauata sonum.
 Ferte Deo pia thura Equites & dicite laudes
 Qui titulum celebres propter habetis Auos
 Vos indicta foro seruate silentia ciues,
 Et superis placido dicite corde preces
 Rustice de curuo iuspensio vomere clauo.
 Differ opus præfens & venerare Deum,
 Ecce tibi patrio qui duxit milite turmas
 Mauritius valido corpore firmus adest.
 Corporis illæsus membris Dux integer annis
 Natalis petij limina chara domus.
 Ore faue ac superos votis placare memento
 Diuino resonent carmine templa sono,
 Florida circudent dispersos tera capillos,
 Præcingant positas & sine lege comas,
 Effundant lætos quæ possunt fundere cantus
 Qua Sala, qua fluctus Albidos vnda ciet.
 Redditus est iterum sospes cum fortiter armis,
 Tutari patriæ dulcia tecta cupit.
 Dum procul a nobis gelidum recessit ad Istrum.
 Audet & indomitis obuius ire Getis.
 Signa sua opponens signis aduersa Scytharum,
 Germanum nomen qui perijisse volunt,
 At laudes merito persers quod tela capessis
 Tutanda patriæ ductus amore iug,

Iure tibi princeps veri tribuantur honores
 Maxima debetur gloria iure tibi,
 Quo d nata solum defendere vindice ferro
 Turcarumq; minas hinc pepulisse, studeas
 Niteris & patrijs arcere penatibus hostem
 Pannoniæ late qui populatur humum.
 Qui gestit victor nos sub ditione tenere
 Arbitrio cupiens frena tenere suo.
 Inno uoq; sitim nostro satiare cruore
 Ardet, & extingui non furor iste potest.
 Est opus Herois caput opposuisse periclis
 Cum coepit patriæ quassa labare salus.
 Ingentesq; animo sumpsisse viriliter iras
 Officiat patrijs ne qua ruina focus,
Hn: Decij famam retinent, celebresq; Metelli.
 Hinc fortes Fabij Scipiadesq; vigent,
 Hunc etenim laudes debent nomenq; manere
 Qui pia pro causa suscipit arma bona,
 Qui non detrectat discrimina mille subire
 Ut possit placida viuere pace domi
 Ut maneat pietas, maneat reuerentia legum
 Sanctaq; consistat cum pietate fides
 Ut iuste coeant ædæ ratione magistra
 Quas vult seruari religione, Deus
 Hæc sublata volens euerasq; funditus esse
 Turca ferox, miscet fasq; nefasq; simul.
 Nos igitur causas pugnantis propter honestas
 Fortiter arma manu corripuisse decet
 Bellaq; sic iusta quæ pro ratione moventur.
 Vir bonus hæc merito qui probat, ille probat.
 Nec tibi conatus talis videatur inanis
 Si non optatis exitus ipse fauet.

Omnia

Omnia commutat varians fortuna regitq;
 Non vilo certa tempore nixa rota.
 Res licet euentum non sit fortita petatum
 Conatus laudis præmia iure teneat.
 Sic & Leonidæ quanq; non uicerit ipse
 Digna tamen virtus quæ celebretur erat
 Huius ad angustos steterant tentoria montes
 Qua thermæ calidis expatiantur aquis.
 Mons etenim flammis nutrit tellure sub ima
 Vnde fluit tepidæ vena perennis aquæ.
 Sulfureumq; refert late succensus odorem
 Sudat & ex liquidis ignibus inde vapor.
 Hic Lacedæmonij Persarum frangere vires
 Conantur, fato sed reuente cadunt.
 Spartano freti pereunt Duce, milite fretus
 Ipse suo gladios inter & arma perit
 Innumeros inter cecidit Dux optimus hostes
 Succurrit patriæ dum pius ipse sua,
 Successu caruit: sed magnis excidit ausis
 Inq; armis pulchrum credidit esse mori
 Nec tua quæ nuper Iuuenis rarissime virtus
 Emicuit, famam est non paritura tibi,
 Exemplum veri reliquis es factus amoris
 Nec pietas longa concidet ista, die,
 Vrbs iacet ad ripas albensis fluctibus Istri
 Nomine quam Pestum Pannonis ora vocat
 Hic expectabat miles Germanicus hostem
 Nec procul hoc stabant ordine castra loco.
 Stabant collectæ fulgentes ære cohortes
 Aduersus, curuo qui ferit ense Geten
 Ergo audus pugne Princeps iam tendere contra
 Cogitat, in Turcas impetus ire sinit.

A iij Nec

Nec mora, laxatas manibus contingit habenas
 Et rapitur multo puluere sparsus equo,
 Densa petit strictris qua perstant agmina telis
 Et Martis dubij grande subibat opus.
 Quo Princeps generose ruis: male creditur hosti
 Hei mihi lapsa foret quam tua pene salus
 Comminus hic primo geritur res: corpora sparsim
 Ensis & telis hoste ab utroq; cadunt
 Multi sternuntur per mutua vulnera morti
 Caesorum nigro sanguine terra madet.
 Strenuus interea puginator cinctus ab hoste
 Mauricius, fixo concidit ictus equo
 gaudius at quadrupes pronos collapsus in armos
 Calcitrat, & fuso sanguine tundit humum
 Extemplo ruit ecce Getes mortemq; minatur
 De Duce iam praedam credit adesse sibi
 Non ita Dis visum est: necat ense Ribischius ho-
 Et vitam Domini protegit arte sui (stem
 Namq; Getes gladium cupiens tenuisse recur-
 Vertice correptus crimina caede luit. (cum
 Tunc patuit posset quid magno in pectore virtus
 Ardua, per preceps que sibi rumpit iter
 Namq; alij soluunt lapsi dum lora Caballi
 Harentem vinculis expediuntq; Ducem,
 Interea densos graditur moriturus in hostes
 Exquirens nudo quamlibet ense viam.
 Impedit incurfus & tela volantia tardat
 Que mittunt rigidi post sua terga Scythae.
 Qualis vbi Hectoreas flammis pro nauib⁹ Ajax
 Sustinet irriguas ad Simoentis aquas.
 Quo ruit obstantes depellit fortiter ictus
 Iamdudum Scythico dextra cruore rubet.

Sic

Sic valido rumpens Turcarum Marte per agmen
 Iam par multorum viribus esse nequit
 Tandem defessus per vulnera pulchra necatus
 Amisso vitam sanguine fundit humi.
 At tua laus memorinuncq; rapietur ab ævo
 Nec fiet facti fama caduca tui,
 Grande tibi fortis peperit nomen in armis
 Nec teret hoc vlllo tempore posteritas.
 Non extinguetur gestarum gloria rerum
 Perpetuo uiuet non moriturus honor
 Ergo Deo dignas vos nunc persoluere grates
 Conuenit, & saluo munera ferre Du c
 Soluere vora decet, diuinum reddere cultum
 Ne vos ingratos arguat esse Deus
 Ut Ducis imperium dilaret & augeat annos.
 Ipsius, hoc vestrum quisq; rogate Deum.
 Forsitan incolumis redijt, mansitq; superstes
 Pro patria rursus quo gerat arma manu
 Armatas iterum patrio de more cohortes
 Ducat, & vt spoliū victor ab hoste ferat.
 Euasit quondam Cannensem Scipio cladem
 Sterneret vt vires postmodo, Poene, tuas
 O tandem nitida qui temperat omnia luce
 Euocet hanc tenebris & sine nube diem,
 Qua Mahometigenæ pedibus per vincula nexis
 Non habeant missi sub iuga nostra, fugam,
 Qua nostris toties illulis fraude malorum
 Ultrices vere norit adesse manus
 Hæc oculis iam iam nostris in morte grauat
 Aspiciens, tollam protinus ipse caput.

FINIS.

Handwritten text, possibly a signature or date, written in reverse on the left page.



